



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. II. De Jurisdictione Confessarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

lud remittere, ut clarè indicant verba Concilij supra n. 30. recitata, si videlicet ipsi aliunde satis cognita sit aptitudo approbandi. Certè Episcopi Germaniæ ferre omnes, teste solertissimo P. Georgio Gobat in Alphab. Confess. religiosos minimæ nostræ Societ. ad hanc incudem non trahunt, rati, sufficere tot & tam rigida examina, quæ illi subire debent prius, quam ad sacrum presbyteratûs ordinem promoveantur, ex quibus meritò approbator præsumere potest, non mitti à nostris superioribus nisi idoneos; ac proinde securus esse in conscientia, etsi ipse experimentale iudicium de hæc aptitudine ferre nequeat.

ARTICULUS II.

De Jurisdictione Confessarij.

41. Ad Absolutionem à peccatis necessaria etiam est in Sacerdote Jurisdictio, ut constat ex Concil. Florent. in litt. Union. & Trid. sess. 14. cap. 7. Ratio, quia Absolutio à peccatis juxta institutionem Christi est actus judicialis: ergo absolvens aliquem debet necessariò in eum, tanquam in subditum, habere Jurisdictionem. Hæc autem Sacerdotibus non confertur vi suæ Ordinationis, in qua accipiunt quidem potestatem remittendi, & retinendi peccata, Joan. 20. Sed potestas ista est tantum aliqua capacitas & habilitas, quâ possunt, superveniente Jurisdictione, absolvere eos, qui ad ipsos veniunt. Dicast. de Pœnit. Disp. 10. n. 81. Sicut Doctor aut Licentiatas Juris vi sui gradûs & doctrinæ non habet Jurisdictionem, sed tantum capacitatem, ut jurisdictionem accipiat, eaque acceptâ

causas ad se deferendas validè decideret. Quare non rectè sentiunt, qui potestatem ordinis confundunt cum potestate Jurisdictionis; Illa enim convenit omnibus Sacerdotibus, & æqualiter se in omnibus extendit ad omnia fidelium peccata. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 2. neque amplius tolli potest; Ista autem opposito modo se habet.

42. Jurisdictio, prout hîc non pro potestate gubernativa, sed tantum pro potestate administrativa Justitiæ sumitur, est potestas causâ cognita dicendi Jus & ferendi sententiam. Ut autem hæc definitio præsentis materiæ magis applicetur, addi potest: in foro interno ad peccata solvenda vel liganda. Unde etiam clarum est, quantum differat ab Approbatione Episcopi, quam sup. n. 30. definivimus.

§. I.

De Jurisdictione Confessarij duplici; & imprimis de Ordinaria.

43. Jurisdictio modò explicata est duplex. Altera ordinaria; altera delegata. Illa est, quæ alicui competit ratione proprii officij, quod gerit: & confertur hoc ipso, quod ei officium, cui est annexa, committatur tanquam proprium. Ista verò est, quæ alicui non ex proprio suo officio, sed tantum ex commissione alterius competit. Hæc porro commissio fieri potest directè vel indirectè. Directè fit, cum immediatè ipsi Sacerdoti tribuitur Jurisdictio, sive jam per generalem dispositionem Juris, sive per specialem concessionem hominis, sive per con-

suetudinem. Indirectè autem fit, cùm ipse superior tribuit quidem Sacerdoti Jurisdictionem, sed tantùm mediante designatione, factà à penitente, qui per Jubilæum vel Bullam habet facultatem eligendi sibi Confessarium, quemcunque vult.

44. Jurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones habent omnes, qui ex officio gerunt animarum curam; adeoque I. summus Pontifex, & quidem in omnes baptizatos toto orbe dispersos. Est enim Pastor universalis, cui Christus sine omni exceptione commisit oves suas, cùm *Joan. 20.* dixit Petro: *pasce oves meas.* II. Summus Pœnitentiarius Pontificis, & quidem etiã in omnes fideles. *Laym. l.c. n.3.* III. Quilibet Episcopus; & IV. quilibet Parochus; sed uterque cum restrictione ad suos tantùm subditos: qualis constitui aliquis potest quadruplici modo, nimirum 1. stabili & perpetuo domicilio. 2. ðturna commoratione seu quasi domicilio; quo modo studiosi, mercatores, famuli, milites præfidiarii &c. subjiciuntur Parocho loci & Episcopo diæcesano quoad Sacramenta, excepto Sacramento Ordinis. *Laym. cit. cap.10. n.5.* Palao de Pœnit. *disp. un. p.13. n.11.* 3. vagatione, qui enim nusquam habent domicilium, possunt, ubicunque pro tempore versantur, confiteri; neque tantùm Parocho loci, sed cuilibet alteri exposito. *Laym. l.c. n.7.* 4. peregrinatione. Nam qui versantur in itinere (modò id non subterfugiendi proprii Parochi causâ susceperint. *Palao. l.c. n.12.*) possunt ex tacito suorum Parochorum consensu, & recepta consuetudine confiteri Parocho, vel cui-

vis alteri exposito ejus loci, in quem perveniunt; & quidem etiã pro paschate, si ad propriam parochiam facilè non possint accedere. *Laym. l.c. n.9. & alii.* V. Superiores regularium in suos religiosos; ita ut superiores mediati, v. g. Generales, Provinciales &c. si exempti sint, habeant in suos subditos regulares Jurisdictionem quasi Episcopalem; superiores autem immediati sive locales v. g. Quardiani, Rectores &c. quasi Parochialem, participantes tamen aliquid de Episcopali in eo, quod subditos regulares possint etiã in foro externo judicare, & censuras infligere, nisi in quibusdam ordinibus id ipsis sit specialiter prohibitum. *Hurt. de censur. in com. Diffic. 4. n.12.* Et verò quia regulares, ubicunque locorum existant, semper manent suis superioribus subjecti, ideo sine eorum facultate nulli possunt confiteri; neque Pontifex, quando dat alicui potestatem in omnes fideles, censetur sub illis religiosos comprehendere, ne ordo regularis turbetur juxta *Reg. 81. in 6.* usus tamen fert, ut regulares peregrinantes saltem ex præsumpta voluntate superiorum, si ordinis socium non habeant, à quovis alio etiã seculari absolvantur; exceptis reservatis, de quibus vide *Laym. cit. cap.10. n.10.* VI. Ordinariorum Vicarii, saltem perpetui; imò, ut *Coninch. de Pœnit. Disp. 8. dub. 4. n.30.* habet, etiã temporales, maximè Generalis Vicarius Episcopi. Item Vice-Quardiani, Vice-Rectores &c.

45. Ordinarii possunt suam Jurisdictionem etiã extra fines sui spiritualis territorii exercere in absolvendis subditis à suis peccatis; modò hi manent ibi adhuc

foz

 Anal
 tentia
 m
 1-4

adhuc subditi. Ratio, quia hæc Jurisdic-
tio, cum tendat ad salutem animæ, est
favorabilis & gratiosa; ergo potest v. g.
Parochus Monacensis suum parochia-
num etiam Ratisponæ validè & licitè ab-
solvere. Licitè tamen in alieno templo
pro tribunali non sedebit incito & invito
ejus loci Parocho; sicut religiosi, etsi fa-
cultatem habeant ubique prædicandi, in
templo tamen parochiali invito Parocho
prædicare licitè non possunt. Extrav. com.
cap. 1. de privil.

46. Jurisdictionem ordinariam ad ab-
solvendum à peccatis amittit aliquis 1.
per officii, cui annexa est, amissionem;
resignatione, translatione, depositione,
privatione, vel quovis alio modo legiti-
mè factam. 2. per excommunicationem
majorem, vel suspensionem ab officio;
Quamvis per ejusmodi Censuram Juris-
dictio non tam amittatur, quàm suspen-
datur; & quidem tunc tantum, quando
censuratus non est toleratus; qualis ne-
mo est, nisi sit publicè denunciatus, vel
notorius percursor Clerici. Censurati
tolerati, quia ex dispositione Concilii
Constant. in gratiam innocentum reti-
nent Jurisdictionem, validè possunt ad-
huc absolvere; imò, si quis fidelium pe-
tat, etiam licitè: sin autem ultrò se in-
gerant ad audiendas Confessiones, pec-
cant. 3. Generalis Vicarius Episcopi
amittit suam Jurisdictionem, cum eam
amittit Episcopus, iisdemque modis; &
quando hujus, tunc etiam illius suspendi-
tur Jurisdictio, quia est una & eadem
utriusque, habetque eam Vicarius depen-
denter ab Episcopo. Dicast. de Pœnit. disp.
10. n. 143.

47. Omnes, qui habent Jurisdictio-

nem ordinariam, absolventi à peccatis,
sup. n. 45. recensiti, possunt eam, nisi
specialiter à superiore prohibeantur, de-
legare alteri. Coninch. de Pœnit. disp. 8.
dub. 4. toto. ex cap. 7. de off. ord. in 6.
sed tantum Sacerdoti approbato, & nul-
la censura vitanda irretito. Hurr. disp. 6.
de Excom. disp. 2. n. 4. si quidem loqua-
mur de Ordinariis Pontifice inferioribus,
& in ordine ad excipiendas Confessiones
Secularium, & Monialium, vide sup.
n. 34.

§. II.

De Jurisdictione delegata Con- fessarii.

48. Qui autem delegatam tantum
habent Jurisdictionem ad audiendas
Confessiones, regulariter eam alteri sub-
delegare non possunt. Ratio, quia de-
legatus nihil potest, nisi quod & quan-
tum ipsi à delegante conceditur; sed re-
gulariter conceditur tantum, ut ipse pos-
sit delegatam Jurisdictionem exercere,
cognoscendo causam, decidendo &c. &
non ut possit commissam Jurisdictionem
alteri committere, ergo. Dixi regulariter.
Nam I. subdelegare commissam sibi Ju-
risdictionem absolventi à peccatis potest
delegatus à Principe, qui hic est summus
Pontifex: modò tamen Princeps non
specialiter industriam ejus personæ dele-
gerit; vel ei non Jurisdictionem, sed
tantum executionem seu nudum ministe-
rium commiserit. Laym. l. 5. tr. 6. cap.
10. n. 12. II. delegatus legati à latere.
Laym. cap. super questionum: 27. de off.
deleg. n. 7. III. delegatus ad universita-
tem aliquam causarum; sed tunc tan-
tum,

tum, quando ei ratione alicujus proprii sui Officii vel Dignitatis est Jurisdictione per perpetuum quasi privilegium commissum; vel quando ei concessum est officium quidem tantum vicarium; sed cui ex se Jurisdictione annexa sit. Talis enim delegatus exercet Jurisdictionem quasi ex officio, fungitur quasi ordinario munere, censeturque ejus Jurisdictione quasi ordinaria. Laym. cit. cap. 10. n. 13. ergo potest eam subdelegare; non tamen generaliter, sicut ipsi commissum est, sed tantum pro facti contingentia in casibus particularibus: nisi aliud rationabiliter presumi possit de mente primi delegantis; vel recepta consuetudo aliud ferat. Vi cujus presumptionis etiam temporalis Vicarius alicujus Parochie potest quandoque alteri Sacerdoti subdelegare generaliter certam partem Jurisdictionis parochialis; v.g. ad audiendas parochianorum Confessiones; imò vi consuetudinis potest quandoque etiam totum suum officium ad breve tempus, quo ipse abest, vel aliter impeditus est, alteri committere, sibi que alium vicarium substituere. Dicast. de pœnit. disp. 10. n. 120. Quod si delegato ad universitatem causarum competat Jurisdictione, non ratione alicujus Dignitatis, vel sui officii proprii, aut vicarii, ut paulò antè dictum, sed præcisè tantum jure delegationis, tunc ille non potest eam subdelegare. Ratio, quia Jurisdictione, quam ille habet, non est annexa ulli officio, ergo non potest haberi pro quasi ordinaria, sed est simplex tantum ac nuda, & delegato committitur tantum propter singularem ejus personæ industriam, vel ex speciali aliquo erga eum favore: ergo commissio est me-

R. P. Sroz. Trib. Pœnit. Lib. II.

rè personalis, neque potest personam egredi. vide Dicast. de pœnit. cit. Disp. 10. a n. 112. IV. delegatus cujusvis etiam inferioris ordinarii, si hoc ei ab isto expressè vel tacitè concedatur, potest delegatam Jurisdictionem alteri subdelegare, si non suo, saltem primi delegantis nomine. Laym. cit. cap. 27. n. 9. V. Tertia. ubi id contra alios bene probat. Et hoc modo Cooperatores à suis Parochis missi in aliquam Ecclesiam ad audiendas confessiones, si multitudine pœnitentium obruantur, possunt assumere alium approbatum sacerdotem, & commissam sibi Jurisdictionem eidem subdelegare. Laym. cit. cap. 27. n. 10. V. Corollarium. & cit. cap. 10. n. 14. Dicast. l. c. n. 117.

49. Ex quibus patet, quod Mendicantes, etsi habeant Jurisdictionem delegatam à summo Pontifice ad audiendas confessiones fidelium, eosque absolvendos ab omnibus peccatis, etiam reservatis; ut mox n. 51. dicam, atque adeo sint etiam delegati ad universitatem causarum; quia tamen Jurisdictione hæc non est annexa alicui officio proprio vel vicario, & conceditur mendicantiis ordinibus ob singularem eorum industriam, vel ex speciali erga eos favore, sicque est privilegium ordinis; ideo non possunt illi hanc Jurisdictionem aliis regularibus vel secularibus subdelegare: nisi ad hoc ipsum habeant speciale Pontificis privilegium; de quo vide Gobat. tr. 7. à n. 103.

50. Nulla certa forma, sub qua delegatio vel subdelegatio fieri debeat, est in jure præscripta. Sufficit ergo quodvis externum signum, quo delegans suam voluntatem alteri sufficienter manifestet; sive jam explicite, concedendo disertis

C

verbis

foz

anal
tentia
m
A

verbis Jurisdictionem sacramentalem; si-
ve implicite, committendo v.g. offi-
cium, cui hæc Jurisdictio vel de jure,
vel de consuetudine annexa est. Imò
etiam subinde taciturnitas ipsa pro signo
delegationis habetur, concurrentibus
tamen duabus circumstantiis. I. est, ut
delegans sciat, alterum velle exercere
actum jurisdictionis quæ talem. II. est,
ut facile possit, si vellet, contradicere,
nullo metu vel verecundia prohibente:
si ergo tunc non contradicit, consentire
videtur juxta *Reg. 45. in 6.* Et hæc vo-
catur Ratihabitio *de presenti*; in qua si
quandoque accidat, ut ille, qui putatur
in datis circumstantiis consentire, revera
non consentiat, nihil id obest valori Sa-
cramenti; quidquid dicat *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 16.* quia Ecclesia in tali casu
supplet defectum Jurisdictionis in gra-
tiam pœnitentium, bona fide confiten-
tium; ut universim de omni Jurisdic-
tione probabiliter existimata tradit *Bonac. disp. 5. q. 7. p. 4. s. 1. n. 13.* & ipse
Laym. l. 1. tr. 4. cap. 22. n. 8. de quo *inf. n. 53.* At verò existimatio de futuro con-
sensu, seu ratihabitione (quod scilicet de-
legans, quando resciverit, postea futu-
rus sit contentus) non sufficit ad valo-
rem Sacramenti Pœnitentiæ; quia abso-
luto Sacramentalis non valet, si fiat eo
tempore, quò absolvens adhuc caret Ju-
risdictione; atqui absolvens sub consen-
su seu ratihabitione futura alterius caret
tunc, cum absolvit, adhuc jurisdictione;
eam enim tantum acquirit per de-
legantis consensum, qui tunc nondum
existit, sed postea primum extiturus est:
multò minùs potest Sacramentum Pœni-
tentiæ, positâ debitâ materiâ, formâ &

intentione Ministri manere quoad suum
valorem vel nullitatem suspensum, & pen-
dere à futuro aliquo eventu, ut docetur in
*tr. de Sacram. cum Sacramenta operen-
tur positis omnibus ad agendum requisi-
tis ut causæ necessariæ. vide inf. n. 85.* Ne-
que dicas ratihabitionem retrotrahi, &
mandato comparari, *Reg. 10. in 6.* quia
hoc locum habet in iis tantum actibus,
quorum valor immediatè pender à sola
voluntate ratificantis. *Dian. p. 6. tr. 6. Ref. 57.* *Dicastillo de Pœnit. disp. 10. n. 166.*
Absolutio autem Sacramentalis pender
etiam, & vel maximè à voluntate Mini-
stri absolventis. Vide *Peckium in cit. Reg. 10. n. 17.* ubi ait, eam locum quo-
que non habere in actibus, qui pendere
non possunt; qui consensum pro for-
ma requirunt, vel id, quod à consensu
provenit; uti provenit etiam Jurisdictio
delegata à consensu & voluntate dele-
gantis.

§. III.

*Quomodo intelligenda delegata
Jurisdictio?*

51. Delegatio Jurisdictionis Sacra-
mentalibus, etsi sit in materia favorabili,
animarum salutis proficua, & nemini no-
xia, debet tamen intelligi cum certis li-
mitationibus. Itaque I. intelligi semper
debet intra limites potestatis, quam ha-
bet delegans; quia nemo alteri dare po-
test, quod ipse non habet. II. etsi de-
legans utatur verbis generalibus & nihil
excipientibus, non tamen semper cen-
setur velle, totam suam potestatem alteri
conferre; quia in generali concessione
intelliguntur excepta, quæ ob suam spe-
ciali-

cialitatem difficilius, & rariùs concedi solent juxta Reg. 81. in 6. & Clem. 5. de priviil. III. concessa generalifacultate absolvendi à casibus Pontifici reservatis, non comprehenduntur casus Bullæ Cænæ; quia horum est arctior reservatio. IV. concessa facultate absolvendi à casibus etiam Bullæ Cænæ, non censetur concessa facultas absolvendi ab hæresi; quia hujus est strictissima reservatio. Quamvis Coninch. disp. 14. d. 16. n. 245. doceat, interdum ex circumstantijs loci, pro quo talis facultas datur (ubi nimirum viget hæresis) posse aliud præsumi. V. si Pontifex concedat generaliter alicui potestatem etiam in casus sibi reservatos, docet Præpos. de pœnit. q. 9. d. 1. n. 7. Hurt. de Excom. disp. 15. diff. 3. n. 14. & alij, hoc ipso implicite concedi etiam in casus Episcopo reservatos; quia alioqui foret in potestate Episcoporum, sicut casus sibi reservare, ita & gratiam Pontificis pro suo arbitrio restringere. Sed hæc doctrina admitti hodie amplius non potest, quia inter propositiones ab Alex. VII. 1665. 2. Oct. prohibitas, est ista duodecima: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*, & tamen Mendicantibus concessa generaliter est facultas absolvendi ab omnibus casibus etiam Pontifici reservatis, ijs exceptis, qui in Bulla Cænæ continentur. Unde patet, quòd Pontifex velit ejusmodi concessionem suam intelligi cum hac limitatione: *nisi quem ex omnibus Episcopus aliquis sibi reservaverit vel reservet*. VI. concessa potestate absolvendi à peccatis conceditur hoc ipso potestas etiam absolvendi à censuris, tali peccato à jure

impositis, & non reservatis, juxta cap. 29. de sent. Excom. Quod cap. etsi tantum loquatur de Excommunicatione, meritò tamen sicut in foro externo, ita etiam in interno extenditur quoque ad censuram Suspensionis & Interdicti. Suarez de censur. Disp. 3. Sect. 4. contra Hurt. diff. 1. n. 5. id ideo negantem, quia absolutio à peccatis requirit etiam absolutionem ab Excommunicatione; non item à Suspensione vel Interdicto. Verùm prædicta extensio non fundatur in connexione unius absolutionis cum altera, sed in generali ratione censuræ, de qua cit. cap. 29. dicitur, quòd quando conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. VII. concessa facultate absolvendi à censuris non censetur concedi facultas absolvendi à censuris, quæ sunt reservatæ; uti nec illæ, quæ sunt ab homine latæ, nisi que ligantur certæ personæ vel communitates sibi per sententiam judicalem, sive per præceptum particulare. Ratio prioris membri per se patet; posterioris verò est hæc; quia alioqui turbarentur tribunalia judicium, & tolleretur disciplina Ecclesiastica; eorum enim censuræ faciliè possent elidi, & cludi, recurrendo pro absolutione ad aliquem habentem generaliter potestatem in censuras.

§. IV.

Quæ, & quibus competat?

51. Jurisdictio Sacramentalis est delegata Sacerdotibus. I. expressè ab ipso jure in articulo mortis Trid. sess. 14. cap. 7. In eo ergo articulo omnes Sacerdotes, quo-

quomodocunque censurati, vel etiam hæretici, possunt quemlibet à quibusvis casibus & censuris absolvere: si quidem desit alius ordinaria vel delegata potestate præditus; vel saltem approbatus; vel non ita censuratus. Dixi: *si quidem desit alius*. Nam si præsens sit, qui etiam extra mortis articulum absolvere possit, docent graves Auctores, alterum invalidè absolvere, eò quòd facultas illi concessa sit tantum pro casu necessitatis, qualis tunc non est. Concessa autem propter necessitatem cessant cessante necessitate. Gloss. Reg. 76. in 6. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 14. cum multis alijs. Sed contrariam sententiam tradunt ex veteribus multi, & ex recentioribus plurimi, relati à Dian. p. 1. tr. 5. Res. 5. & p. 4. tr. 4. Res. 161. & 235. & p. 5. tr. 3. Res. 57. 60. & 67. tr. 13. Res. 12. & sequitur cum ipse, tam Tamb. de exped. Confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1. & est æquè probabilis; videlicet quemlibet etiam simplicem Sacerdotem, saltem censurâ non tolerata liberum, posse quosvis, præsentem quoque proprio aut privilegiato Sacerdote, ab omnibus peccatis & censuris absolvere; quia Trid. & antiqui Canones absque ulla distinctione & mentione de absentia vel præsentia sacerdotis habilioris loquuntur. Ubi autem lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Sed de hoc vide plura infra n. 65.

53. II. In communi errore, cum nimirum confessarius, qui nec ordinariam nec delegatam habet jurisdictionem, in eo tamen loco, ubi Confessiones audit, per communem errorem populi putatur eam habere ob aliquem coloratum titulum, quia v. g. pro parochio se gerit, aut tan-

quam Religiosus privilegiatus exponitur. In hoc enim casu Ecclesia in gratiam pœnitentium, ne alienâ malitiâ vel ignorantia illis incommodet, supplet, vel potius confert jurisdictionem pro tali actu. Quod licet in specie non reperitur à Jure expressum; rectè tamen ex generali illo principio deducitur, quòd *sacrorum canonum statuta*, ubi ipsa nihil determinant, *Principum constitutionibus adjuvantur*, cap. 1. de novi op. nunt. Nam in famosa illa L. Barbarius. 3. ff. de off. Praetor. statuitur, acta & decreta ejus, qui per communem errorem putabatur habere potestatem prætoriam, cum tamen reipsa non haberet, non esse reprobanda; idque propterea, quia Populus Romanus potuit ei dare illam potestatem, & propter utilitatem eorum, qui apud ipsum lege vel alio jure egerunt, censetur voluisse dare. Cum ergo in foro Pœnitentiæ quoque plurimum intersit, Confessiones, bona fide factas, non esse ex solo defectu jurisdictionis in Ministro invalidas; Ecclesia autem possit confessario dare Jurisdictionem, quam alicubi per communem errorem putabatur habere, cum non habeat; meritò censetur etiam velle dare. Quod tamen cum hac quadruplici limitatione intelligendum est, 1. ut plerique in illo loco ignorent, confessarium carere Jurisdictione; nam si pauci tantum ignorent, non est propter eos tam extraordinarium remedium adhibendum. 2. ut hæc Jurisdictio non stabiliter, sed pro singulis tantum actibus censeatur concessa. 3. ut non censeatur esse amplior, quam requirit titulus, v. g. parochialis, quem confessarius præfert. 4. ut propterea ipse confessarius,

rius, conscius sui defectus, non sit excusatus à peccato; quia Ecclesia non in ipfius, sed tantum in pœnitentium, communi errore laborantium, gratiam supplet Jurisdictionem. Suar. *de cens. disp. 11. sect. 3. num. 13.*

III. Quando ob rationem & auctoritatem Doctorum verè probabile est, Confessarium habere potestatem absolvendi à peccatis, quam tamen re ipsa fortè non habet. Cum enim Confessarij, qui tali modo judicant se habere potestatem absolvendi, licitè possint juxta Dian. *p. 9. tr. 7. Res. 59. & alios*, atque adeò sepe etiam soleant absolvere, ad Ecclesiam providentiam & curam spectat, ut si probabilis illa opinio à parte rei sit falsa, & Confessarij re ipsa jurisdictionem non habeant, ipsa eam in tali casu suppleat, & conferat, ne tot confessiones vel fiant invalidæ, vel ob dubium sint repetendæ, vel pœnitentes in periculum damnationis conjiciantur. Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 3. Palao tr. 1. Disp. 2. p. 5. n. 9.*

54. IV. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, modò non sit ob censuram aliquam vitandus, vel degradatus, habet Jurisdictionem seu potestatem absolvendi quemlibet à venialibus, uti & à mortalibus jam semel per confessionem ritè expiatis. Dian. *p. 5. tr. 14. Res. 86. & p. 8. tr. 1. Res. 86.* Habent enim Sacerdotes hanc potestatem non jure divino & vi sui ordinis, ut aliqui probabiliter quidem volunt apud Dicast. *de pœnit. Disp. 10. n. 433.* sed juxta probabiliorem & communiorrem, tantum est ijs delegata ab Ecclesia & jure Ecclesiastico consuetudinario, de quo testatur consensus DD. apud eitt. Unde etiam Sacerdotibus eandem iterum

aufferre potest Pontifex, si velit, Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 55.*

V. Ex consuetudine habet etiam quilibet Sacerdos approbatus delegatam Jurisdictionem, seu potestatem absolvendi quemlibet Episcopum, vel Cardinalem. Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 85.* sicut & quemlibet alium Sacerdotem secularem. Gobat *tr. 7. n. 82.*

VI. Non tantum Parochus, sed etiam quilibet alius Sacerdos approbatus & expositus in aliquo loco ad audiendas confessiones, habet delegatam potestatem absolvendi quemlibet laicum, qui est vagus. Laym. *cit. cap. 10. n. 7.* vel in eo loco peregrinus. Idem *ibid. n. 9.* An autem talis Parochus vel expositus unius loci habeat simili modo delegatam potestatem absolvendi alterius vicini vel remoti parochianos, qui illac transeunt tanquam viatores, vel eò peregrinationis seu devotionis causâ veniant, pendet ex diversorum locorum, & Diocesum consuetudine; ad quam proinde attendendum est. Universaliter affirmat Palao *de Pœnit. D. nn. p. 13. n. 12. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 5. & seqq.* modò non ideo tantum iter ineant, ut alteri Parocho confiteri possint. *sup. n. 45.* In locis, ad quæ est solemnior peregrinatio, communiter Sacerdotes ibi expositi habent à suo Episcopo expressè delegatam generalem potestatem absolvendi omnes subditos diocesanos; ad exteros autem absolvendos habent saltem tacitè ab alijs Episcopis, vel Parochis concessam, quamdiu isti non expressè contradicunt. Illud addo, quòd, si consuetudo sit diocesana, ut quivis Parochus cujusvis alterius parochianos ad se accedentes absolvat, validè & licitè adhuc

id fiat, etiam si unus aut alter Parochus expressè contradicat, & suis parochianis prohibeat; quia unus vel alter Parochus communem totius Diœcesis consuetudinem non potest immutare, nec jus per eam alijs tam Confessarijs quàm pœnitentibus attributum auferre. Dicast. *de pœnit. Dissp. 10. n. 178.* Aliud foret, si consuetudo esset tantùm particularis aliquarum Parochiarum: ea enim hoc ipso tollitur, quòd Parochus loci illi expressè resistat; quia hoc ipso non amplius adest, ne quidem tacitus Ordinarij v. g. Parochi consensus de præsentibus; qualis est scientia & patientia illius, à quo pender illa consuetudinaria delegatio Jurisdictionis.

VII. Jurisdictionem delegatam ab homine habet, cui eam ordinarius vel delegatus aliquis ex ijs, de quibus *sup. n. 48.* concedit.

§. V.

Quomodo amittatur?

55. Jurisdictio delegata absolventi à peccatis amittitur I. si commissum officium, quod eam annexam habet, amittitur v. g. Vicaria. II. lapsu temporis, si ad determinatum tempus fuerit concessa. III. revocatione delegantis. IV. si delegans eam concessit cum hujusmodi clausula: *donec voluero; ad meum beneplacitum &c.* tunc juxta communem censetur expirare morte concedentis, quia per mortem sicut homo, ita & hominis definit esse voluntas, & placitum. Laym. *l. 1. tr. 4. cap. 23. n. 17.* V. tamen morte concedentis, etiam re adhuc integra, non expirat, si ab eo absolutè & simpliciter fuit alicui concessa, ut DD. colligunt *ex cap. Si cui. 36. de præbend. in 6. & illud*

de concessione non tantùm à Pontifice, sed etiam ab alijs inferioribus v. g. ab Episcopo, Parocho &c. facta intelligunt. Dicast. *de pœnit. Dissp. 10. n. 136.* Laym. *cit. cap. 10. n. 22.* eò quod universim nulla gratia facta morte concedentis expirat. Sanch. *l. 8. Matr. Dissp. 28. n. 72.* atqui potestas absolventi, cum sit proximè & directè concessa ipsi Sacerdoti in ejus favorem & honorem, censetur esse gratia facta, & quidem, ut Laym. *l. c. n. 23.* indicat, talis, quæ non habeat rationem mandati, sed beneficij; quæque non exerceatur nomine concedentis, sed Christi, ergo delegata Jurisdictio ad absolventem à peccatis, etiam rebus adhuc integris, non expirat morte concedentis. Neque de hac intelligi possunt contraria jura, sed tantùm de alia, ejusmodi prærogativa non habente. Unde jam Pœnitentiarius vel alius Confessarius ab Episcopo; vel Cooperator, uti & Vicarius ad tempus à Parocho cum delegata potestate constitutus potest etiam post cognitam Episcopi vel Parochi mortem suo officio adhuc fungi, & pœnitentes absolvere. Dicast. *l. c. n. 139.* & Laym. *cit. n. 22. in fine.* ubi testatur ita etiam habere praxin; & quamvis *l. 1. tr. 4. cap. 23. n. 18. in fine* dixerit, sibi quoad Vicarium & Cooperatorem placere contrariam sententiam Garcia; addidit tamen, hæc in re cujusvis Diœcesis consuetudinem esse attendendam. Præterea morte, re integra, non expirat Jurisdictio, si concedens delegaverit eam cum clausula: *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ;* quia Sedes non moritur. *cap. Si gratis. 5. de Rescript. in 6.* vel cum clausula: *donec revocavero;* si enim vivus non revocet, mortuus revocare

non

non amplius potest. Et quia Palao de Legibus. D. 4. p. 16. §. 5. n. 5. putat huic clausulæ juxta communem loquendi modum æquivalere illam: *quamdium voluero; ad meum beneplacitum*, ideo probabile cenlet, jurisdictionem etiam cum istis clausulis delegatam non expirare morte delegantis.

ARTICULUS III.

De Reservatione Casuum.

De hac quoque dicenda sunt hinc aliqua, ut, quæ ad Jurisdictionem Confessarii spectant, plenius intelligantur.

§. I.

An detur Reservatio? & quid sit?

56. Esse in Ecclesia potestatem reservandi peccata, eamque habere summum Pontificem in universa Ecclesia, & quemlibet Episcopum in sua Diœcesi, atque ita, ut vim habeat non tantum in externa potestate, sed etiam coram DEO; ad ædificationem tamen non ad destructionem, definitum est in Trid. Sess. 14. cap. 7. & can. 11. Idque merito. Tum quia ad rectam Christiani populi gubernationem spectat, non quævis peccata à quovis Confessario absolvi; cum in tanto eorum numero, quantus est necessarius, non omnes habeant peritiam sufficientem ad cujusvis peccatoris directionem & emendationem. Tum quia difficultas in ad eundo Superiore pro absolutione est oportunissimum frænnum ad fideles à gravioribus peccatis coercendos.

57. Reservatio itaque casuum est actus, quo Superior alicui inferiori, vel

non concedit Jurisdictionem in aliqua peccata; vel jam antea concessam iterum aufert. Casus autem reservatus est ille, à quo inferior aliquis Confessarius nequit absolvere ob defectum Jurisdictionis sibi à Superiore in illum non concessæ, vel iterum ablatae. Jurisdictio enim si sit delegata, pendet ejus concessio & ablatio, ampliatio & restrictio ab arbitrio delegantis. Ordinaria competit quidem alicui ratione proprii sui officii, cui jure humano tantum, vel etiam divino annexa est; sed quia nihilominus semper, saltem quoad modum ampliationis & restrictionis manet subiecta dispositioni legitimi Superioris; ideo Jurisdictionem ordinariam Parochi Episcopus, & utriusque potest Pontifex restringere, atque in aliqua peccata non concedere, vel concessam antè iterum auferre. Dicast. de pœnit. Disp. 11. dub. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 11. num. 1.

§. II.

Quorum peccatorum soleat fieri Reservatio?

58. Porro circa reservationem sunt observanda seqq. 1. Quamvis ab Ecclesia possint validè reservari etiam peccata venialia, uti & mortalia jam semel confessata, merè interna, & dubia, sicut Dicast. de pœnit. disp. 11. dub. 4. 5. & 6. cum aliis probat; ut tamen peccatum aliquod censetur defacto à Superiore reservatum, debet illud 1. esse mortale; venialia enim, cum nemo teneatur confiteri, frustra reservarentur. Dicast. l. c. n. 31. 2. extraordinariam aliquam habere gravitatem, quæ exigat extraordinarium talem rigorem & curam. 3. prodire in actum externum,

f 02

1. mal
 2. tentia
 3. m
 4. A